

ECCLESIA DOMESTICA

SUMMARIUM: Exponitur doctrina de «Ecclesia domestica», prout habetur in Constitutione Apostolica «Lumen Gentium» atque implicite in Constitutione «Gaudium et Spes», immo et melius in Decreto «Apostolicam actuositatem». Examini subicitur quo modo semper clarior et profundior fiat haec doctrina, antiqua et nova, in Adhortationibus Apostolicis «Familiaris consortio» et «Christifideles laici». In hac doctrinali expositione visio Creatio- nis humanae, revelatione divina illustratur, veritate nempe de ipsa caritate Dei qua unus simul est et trinus Deus, fons unitatis familiae christianae et «familiae Dei» quae est Ecclesia Christi.

In Constitutione *Lumen Gentium* Concilii Vati- cani II capitulo II, legitur textus sequens quem analysi subicere volumus ut clarius appareant tum verborum significatio, tum rei momentum ecclesiologicum:

«Coniuges christiani, virtute matrimonii sacramenti, quo mysterium unitatis et fecundi amoris inter Christum et Ecclesiam significant atque participant (cfr. Eph. 5,32), se invicem in vita coniugali necnon prolis susceptione et educa- tione ad sanctitatem adiuvant adeoque in suo vitae statu et ordine proprium suum in Populo Dei donum habent (cfr. 1 Cor. 7,7)¹. Ex hoc enim connubio procedit familia, in qua nascuntur novi societatis cives, qui per Spiritus Sancti gra- tiam ad Populum Dei saeculorum decursu, baptismo in filios Dei constituuntur. In hac velut Ecclesia domestica²

¹ In nota haec habentur: 1 Cor 7,7: «Unusquisque proprium donum (idion charisma) habet ex Deo, alius quidem sic, alius vero sic». Cfr. S. AUGUSTINUS, *De Dono persever.* 14,37: PL 45, 1015s.: «Non tantum continentia Dei donum est, sed coniugatorum etiam castitas».

² Emphasis est nostra.

parentes verbo et exemplo sint pro filiis suis primi fidei praecones et vocationem unicuique propriam, sacram vero peculiari cura, foveant oportet» (LG 11b).

Quae expositio conciliaris circa ordines et status personarum his concluditur verbis:

«Tot ac tantis salutaribus mediis muniti, christifideles omnes, cuiusvis conditionis et status, ad perfectionem sanctitatis, qua Pater ipse perfectus est, sua quisque via, a Domino vocantur» (LG 11c).

Alio in loco, in capite V de universali vocatione ad sanctitatem vim et valorem familiae ecclesiaeclare iterum innuitur. Textus, etsi brevis, densus est et pro ipsa familiae christianae ecclesiali natura exponenda clarus et efficax.

«Coniuges autem parentesque christiani oportet ut propriam viam sequentes, amore fideli, totius vitae decursu se invicem in gratia sustineant et prolem amanter a Deo acceptam christianis doctrinis et evangelicis virtutibus inbuant. Ita enim exemplum indefessi et generosi amoris omnibus praebent, fraternitatem caritatis aedificant et foecunditatis Matris Ecclesiae testes et cooperatores existunt in signum et participationem illius dilectionis, qua Christus Sponsam suam dilexit seque pro ea tradidit» (LG 41e).

Quae elementa hic congesta iam Ecclesiae domesticae naturam et munera efferunt. Notare oportet quomodo uniuntur duo munera viri et mulieris qui uti «coniuges parentesque» considerantur, ita ut non genitores tantum habeantur sed insimul cum prole amanter a Deo accepta hic assumantur. Deus qui coniuges vocavit et univit ipse liberos in hac ecclesiali domo educandos tradit, unde munera elucent ecclesialia familiae christianae, aedificatio nempe alicuius fraternitatis caritatis, quo foecunditatis Matris Eccle-

siae testes et cooperatores existunt genitores immo et filii et quidem in signum et participationem illius dilectionis qua Christus Sponsam suam dilexit seque pro ea tradidit. Omnibus, ut dicit *Lumen Gentium*, exemplum indefessi et generosi amoris ab eis praebeatur, non tantum in Ecclesia sed in toto mundo in quo medio vivunt.

Non his solis in locis Concilii Vaticani II fit doctrinalis de familia christiana expositio. Non minoris enim momenti est textus, forsitan minus notus, qui in decreto «*Apostolicam Actuositatem*» invenitur. Textus primum de Ecclesia domestica enuntiatur pulchre confirmat:

«Hanc familia ipsa missionem divinitus accepit ut sit prima et vitalis cellula societatis. Quam missionem adimplebit, si per mutuam membrorum pietatem et orationem in communi Deo factam tamquam domesticum sanctuarium Ecclesiae³ se exhibeat: si tota familia in cultum liturgicum Ecclesiae se inserat; si denique, familiam actuosam hospitalitatem praestet, iustitiam aliaque bona opera in servitium omnium fratrum necessitate laborantium promoveat» (AA 11a).

Quae verba nobis maiora videntur, illa nempe quae Ecclesiam domesticam alio modo, immo et fusius exprimunt: est enim familia tamquam domesticum sanctuarium Ecclesiae. Quod sanctuarium non ut clausum in oratione consideratur sed caritate apertum quod eandem exerceat caritatem uti Christi testimonium et Dei donum.

Loquitur textus ille conciliaris de ipsa actione ecclesiali familiae christianae; enumerat quidem plura huius actionis familiaris experimenta, quae utiliter hic considerantur:

³ Emphasis est nostra.

«Inter varia opera apostolatus familiaris sequentia enumerare licet: infantes derelictos in filios adoptare, advenas benigne excipere, scholis moderandis adiutricem operam navare, adolescentibus consilio et operibus adesse, sponso ut melius sese ad matrimonium praeparent adjuvare, ad catechesim operam praestare, coniuges et familias in discrimine materiali vel morali versantes sustentare, senibus non solum necessaria providere sed etiam progressus oeconomici aequos fructus procurare» (AA 11d).

Quae signa caritatis hic iam enumerata, non totam explent huius Ecclesiae domesticae munera. Sunt et alia quae quidem nonnulli magis missionaria nominari velint. Pergit textus citatus:

Semper et ubique, sed peculiari modo in regionibus in quibus prima Evangelii sparguntur semina, vel Ecclesia in suis primordiis existit, vel in aliquo gravi discrimine versatur, familiae christianae, tota vita sua Evangelio cohaerentes ac matrimonii christiani exemplum praebentes, pretiosum Christi testimonium mundo perhibent (AA 11e).

Quae missio familiae, quae domesticum Ecclesiae sanctuarium se exhibet et Ecclesia domestica vocatur, non sola agat oportet sed cum aliis coniuncta, prout dicit idem textus:

«Ut fines sui apostolatus attingere valeant, opportunum esse potest ut familiae in aliquos coetus congregentur» (AA 11f).

Quae familiarum congregatio hic modeste et prudenter innuere voluit Concilium; ipsa autem vi Spiritus Sancti ad maiora videtur hodie vocata qua nova consecrationis forma Deo in Ecclesia velit sese dedicare aliisque plenius ut Ecclesiam domesticam exhibere.

Ut autem familiae munus clarius appareat, hic

recolenda sunt elementa quae eodem in articulo undecimo decreti *«Apostolicam actuositatem»* in memoriam revocantur. Sunt enim fundamentalia, etsi, uti videtur, non completa:

«Cum conditor omnium constituerit coniugale consortium exordium et fundamentum societatis humanae, idque gratia sua reddiderit sacramentum magnum in Christo et in Ecclesia (cfr. Eph. 5,32), apostolatus coniugum et familiarum singulare habet momentum tam pro Ecclesia quam pro societate civili» (AA 11a).

Quae si vera sunt omnia, plura addenda videntur praesertim ob momentum Ecclesiae domesticae; quae realitas initium esse videtur profundioris investigationis doctrinalis.

Certe consortium coniugale exordium est et fundamentum societatis humanae, et gratia auctum, Ecclesialis communitatis. Sed illud initium melius perspicitur et plenius fundatur, si verba libri Geneseos in memoriam revocantur. Creavit Deus hominem, virum et mulierem, creavit eos ad imaginem suam. Quae Dei imago non est vera et completa nisi sit trinitaria. Trinitaria est quia amoris vita. Quae imago Dei non est completa sine amoris generatione et ad suum fontem regressu. Unde in creatione praenuntiata est veritas a Christo revelata: Deus caritas est et cum sit Deus caritas, Deus Trinitas est. Familia est imago Dei plena; consortium coniugale non est plena Dei imago sine tertia amoris relatione quae est generationis. Quae generatio non est amoris, si non est amor amoris generantis.

Unde si haec melius perspiciuntur, primum est consortium familiare quod in consortio coniugali initialem suam obtinet amoris relationem. Quae mutua relatio non est perfecta, nisi habeatur tertia qua fit

familia. Familia est ad imaginem Trinitatis sicut et Ecclesia, quae de Trinitate obtinet suam unitatem et foecunditatem (LG 4).

Recte dicitur familia «*sanctuarium Ecclesiae domesticum*», si ipsa familia est Ecclesia domestica. Quae si vera sunt, alia sunt hic notanda. Doctrina de matrimonio nimis videtur fundata in historica revelationis evolutione qua matrimonium primum videtur ut consortium humanum. Quod consortium peccato turbatum in suam reducitur a Christo unitatem: uxor sit unius viri et vir unius uxoris. At quae historice in tempore evolvuntur, in Deo aeternae sunt contemplata et matrimonium in eo non est vera Dei imago, si non sit natura et vi sua familiare consortium seu Trinitatis speculum. Quae omnia postea in unum conabimur coadunare et contemplare.

In eodem decreto «*Apostolicam Actuositatem*» enumerantur et coniugum munera et officia. Quae sunt iterum et iterum prudenter ponderanda.

«Coniuges christiani sibi invicem, filiis suis ceterisque familiaribus gratiae cooperatores sunt et fidei testes. Filiis suis ipsi sunt primi fidei praecones et educatores; verbo et exemplo eos ad vitam christianam et apostolicam formant, in eorum vocatione seligenda prudenter eos adiuvant et vocationem sacram, in eis forte detectam, omni cura fovant» (AA 11b).

Plura ei qui textum legit, apparent maioris momenti, alia autem dilucidanda et prospicienda. Hic feliciter familia fit «*domus*», in qua uniuntur qui eam efformant: parentes, filii, collaboratores. Quoad domus momentum familiare et ecclesiale in Sacra Scriptura, uti videbimus, pluries exprimitur et effertur.

Vocatio non est tantum filiorum seligenda i.e. discernenda, protegenda et intelligenda. Vocationis

fons non est humanae voluntatis decisio sed divinae voluntatis indicium et donum.

Etsi momentosa et sacra, ad ministeria praesertim sacerdotalia vocatio, est etiam ad vitae consecrationis peragendam in Christi sequelam praeclara divina assumptio. Sed vocatio non est agnoscenda filiorum tantum; est et magni momenti vocatio parentum, qui et ipsi a Deo electi et coniuncti, matrimoniali vinculo corroborantur sacramentali, sed et etiam ad vitae consecrationem in Dei amorem advocantur, hac quidem gratia divina qua alii ad amoris Dei totale donum invitantur, alii ad ipsam virginitatem colendam sunt a Deo vocati nonnulli. Quae vocationis formae excedunt non tantum naturalia, uti dicunt, matrimonialia officia sed et ipsa vitae matrimonialis consueta officia et mandata. De quibus postea plura sunt dicenda.

Textus de familia non habentur in Concilio de natura sua tantum intelligenda et investiganda, sed aut brevius de ea agunt aut de suo apostolatu proprio et de sua in mundo praesentia et actione apostolica in Ecclesia et in societate civili. Quae elementa civilia et ecclesialia saepius intime connectuntur:

«Coniugum semper officium fuit, hodie vero maxima apostolatus eorum pars est: indissolubilitatem et sanctitatem vinculi matrimonialis vita sua manifestare et probare; ius et officium prolem christiane educandi, genitoribus et tutoribus inditum, strenue affirmare, dignitatem et legitimam autonomiam familiae defendere» (AA 11c).

Quae officia, si maiora remanent, etiam sunt hodie melius definienda. Indissolubilitas est magni momenti; maioris autem momenti ipsius matrimonii identitas a Deo definita, a Christo restaurata, in divino amore contemplanda. Indissolubilitas vinculi

matrimonialis unitatis familiae est fundamentum, quod ex ipsius natura divina effluit eamque pro parte exprimit. Item adiugenda sunt officia priora in prole recipienda, servanda, eius vita a momento conceptionis tuenda et iure vindicanda. Abortus est vitae humanae violenta destructio et mortis voluntariae inhumana impositio. Cum tot sint familiae iura et officia, cum tam alta sit eius ecclesialis et spiritualis dignitas et in ipsa Ecclesia eius vitalis praesentia et pro ipsa Ecclesia fructifera actio, quae actio dici potest socialis, immo in civitate politica:

«Cooperantur igitur ipsi ceterique christifideles, cum hominibus bonae voluntatis, ut in civili legislatione haec iura sarta servantur; in moderanda societate ratio habeatur necessitatum familiarum quod ad habitationem, educationem puerorum, conditionem laboris, securitatem socialem et tributa pertinet; in migrationibus ordinandis convictus domesticus omnino in tuto ponatur» (AA 11c).

Quae ut facilius attingere valeant familiae, opportunum eis est, uti iam dictum, associationes condere quibus christifideles etiam haec iura familiaria tutius et firmiter defendere possint (cfr. AA 11f).

Doctrina hucusque proposita repetenda erit et ad fundamenta sua prima adducenda ut melius perspiciatur, aestimetur et intelligatur. Sed examinanda nobis est Constitutio pastoralis *«Gaudium et Spes»*.

In Constitutione pastoralis *«Gaudium et Spes»*, etsi vox *«Ecclesia domestica»* non adhibeatur, plura tamen huius realitatis ecclesialis elementa melius, immo largius proponuntur, quae hic doctrinali ratione afferenda videntur.

«Vir... et mulier, qui foedere coniugali "iam non sunt duo sed una caro" (Mt. 19,6) intima personarum atque operum coniunctione mutuum sibi adiutorium et servitium

praestant, sensumque suae unitatis experiuntur et plenius in dies adipiscuntur. Quae intima unio, uipote mutua duarum personarum donatio, sicut et bonum liberorum, plenam coniugum fidem exigunt atque indissolubilem eorum unitatem urgent» (GS 48a).

Quo textu unitas matrimonii inculcatur, quae simul mutua personarum donatio atque liberorum susceptio et educatio existit ut plenum sit in sacramento amoris divini signum. Notatu dignum est hanc imaginem amoris divini mutui et foecundi discretam remanere in textibus conciliaribus, semper melius adumbratam, non tamen clara exstructam. Est autem creatus homo, vir et mulier, ad imaginem Dei (Gen. 1,27) ut crescant et multiplicentur filii Dei (Gen. 1,28), homines ab ipso creati et ad plenam cum Deo unionem in Christo convocati in unum suum Corpus, quod est Ecclesia (Eph. 1,23; Col. 1,24).

Quae unitas matrimonialis aliam ecclesialem habet significationem. Pergit enim textus Constitutionis:

«Christus Dominus huic multiformi dilectioni, e divino caritatis fonte exorta et ad exemplar suae cum Ecclesia unionis constitutae, abundanter benedixit. Sicut enim Deus olim foedere dilectionis et fidelitatis populo suo occurrit, ita nunc hominum Salvator Ecclesiaeque Sponsus (cfr. Mt. 9,15; Mc. 2,19-20; Lc. 5,34-35; Io. 3,29; 2 Cor. 11,2; Eph. 5,27; Apoc. 19,7-8; 21, 2 et 9) per sacramentum matrimonii christifidelibus coniugibus obviam venit. Manet porro cum eis, ut quemadmodum Ipse dilexit Ecclesiam et seipsum pro ea tradidit, ita et coniuges, mutua deditione, se invicem perpetua fidelitate diligant. Germanus amor coniugalis in divinum amorem assumitur atque virtute redemptiva Christi et salvifica actione Ecclesiae regitur et ditatur ut coniuges efficaciter ad Deum ducantur atque in sublimi munere patris et matris adiuventur et confortentur» (GS 48b).

His iam positis, quae amoris humani sensum et vim ecclesialem exponunt, immo et Trinitatis divinae

imaginem praesupponunt, ipsum sacramentum, uti iam a Pio XI in Litteris Encyclicis «*Casti Connubii*», hic uti «*consecratio*» definitur. Constitutio «*Gaudium et Spes*» hanc iterum assumit doctrinam, quin eam explicitius exponat. Textus ille magni est momenti, a studiosis attente considerandus et amplius explanandus:

«*Qua propter coniuges christiani ad sui status officia et dignitatem peculiari sacramento roborantur et veluti consecrantur*» (GS. 48b)⁴.

Ut autem matrimonii sacramenti natura et vis ecclesialis melius illuminentur, plura in Constitutione «*Gaudium et Spes*» elementa sunt quibus sensus Ecclesiae domesticae illustratur:

«*Liberi, ut viva familiae membra, ad sanctificationem parentum suo modo conferunt. Gratae enim mentis affectu, pietate atque fiducia beneficiis parentum respondebunt ipsisque in rebus adversis necnon in senectutis solitudine filiorum more assistent*» (GS 48d).

Quae activa filiorum praesentia in eorum familia, uti est domestica ecclesia, non tota eius missio est aliquomodo in familia conclusa. Vis familiae sacramento corroboratur qua, uti Ecclesia, ad alios coniuges et filios, immo ad omnes homines se extendit. Quod sequenti modo exponitur:

«*Familia suas divitias spirituales cum aliis quoque familiis generose communicabit. Proinde familia christiana cum e matrimonio, quod est imago et participatio foederis dilectionis Christi et Ecclesiae exoriatur, vivam Salvatoris in mundo praesentiam atque germanam Ecclesiae naturam omnibus patefaciet, tum coniugum amore, generosa foecunditate, unitate atque fidelitate, tum amabili omnium membrorum cooperatione*» (GS 48d)

⁴ Emphasis est nostra.

Iterum notanda est in hac doctrina elucidanda relatio ad Christi et Ecclesiae mutuum indissolubilemque amorem. Quae tamen amoris vincula non plenam matrimonii naturam extruunt vel exponunt, nam si ad imaginem Dei, qui Trinitatis est amoris plenitudo, creatus est homo et uti vir et mulier in unum coniunctus, talis amor, ut sit plenus, triniatrius sit oportet. Talis positio quae reducta dici potest, etiam in conclusione capitis I partis IIae repetitur:

«Ipsi... coniuges, ad imaginem Dei vivi facti et in vero ordine personarum constituti, affectu compari, mente consimili et mutua sanctitate adunati sunt, ut Christus, vitae principium secuti, in gaudiis et sacrificiis vocationis suae, per suum fidelem amorem, illius testes fiant mysterii dilectionis, quod Dominus morte et resurrectione sua mundo revelavit» (GS 52g).

Quae conclusiva verba totam hanc de amoris consortio familiaris visionem restringit ad coniuges et ad Christi et Ecclesiae mutuam caritatem, dum prior sit totius amoris fons Deus, Unus et Trinus, et triplex habeatur amoris relatio qua fiat in Deo personarum distinctio et caritatis plenitudo. Non plene intelligitur homo nisi sit Dei vivi imago; Dei vivi imago est in familiari consortio. Quod consortium sacramento sanctificatum non plene est coniunctum, nisi sit Trinitatis unionis exemplum, signum et sacramentum.

Unde remanet aperta quaestio ex ipsis textibus allatis exorta: estne sacramentum amoris humani Divini amoris signum, fitne in coniugibus solis et in eorum familia Ecclesia domestica⁵?

Ecclesiae domesticae naturam, momentum atque missionem ipse Summus Pontifex Joannes Paulus II

⁵ Ponitur quaestio utrum matrimonium solos coniuges sacramento uniat an potius totam familiam exstruendam aedificet.

saepe, immo et abundanter explanavit tum in Exhortatione apostolica «*Familiaris Consortio*»⁶, de familia christiana, tum in altera de laicis «*Christifideles laici*»⁷. Quam doctrinam etiam in suis allocutionibus, clarificavit inculcavitque ita ut ipsa haec denominatio in doctrina magisterii ordinarii recepta dici possit. Qua via etiam in legem Ecclesiae suum obtinebit momentum et pondus.

In Exhortatione «*Familiaris Consortio*» familia christiana saepius uti Ecclesia domestica effertur, eiusque natura et munus exponitur. Textus maioris momenti hic afferre volumus.

Ab initio enim hac in Exhortatione elucet textus qui totius doctrinae dici potest illuminatio. Ipsum enim Deum matrimonii fontem et exemplar ponit, hominem ut Dei imaginem, qui Deus caritas et amor est.

«Hominem Deus ad suam condidit imaginem et similitudinem (Cfr. Gen. 1,26s): in vitam excitans eum ex amore, simul destinavit illum ad amorem.

Deus est amor (1 Jo 4,8) in seque vivit ipse ex mysterio personalis amoris communionis. Ad suam imaginem creans ac perpetuo in vita conservans humanam naturam viri ac mulieris, Deus indidit ei vocationem ac propterea potestatem et officium, cum conscientia coniunctum, amoris et communionis (GS 12). Quo circa amor est princeps et naturalis cuiusque hominis vocatio» (FG 11).

Qui textus si etiam huius doctrinae videatur fons verus expositionis, non nisi initium videtur positionis doctrinalis quae in adhortatione «*Christifideles laici*» clara exposita fiet doctrina.

Praevalenter autem agit Adhortatio «*Familiaris*

⁶ AAS 74 (1982) 81-191.

⁷ AAS 81 (1989) 393-521.

consortio» de relatione inter coniuges eiusque sensus exponit, immo et clarificat. Quae coniunctio fundamentalis est in Revelatione et experientia fidei Israelis, obtinet autem in Christi amore erga sponsam eius, Ecclesiam, plenam eius significationem. Quae omnia his in textibus bene affirmantur:

«Amoris inter Deum hominesque communio, quae principaliter invenitur in Revelatione atque fidei Israelis experientia, significanter exprimitur coniugali pacto, quod inter virum initur et feminam. Quapropter primum Revelationis verbum «Deus suum populum amat» enuntiatur etiam verbis vivis et concretis quibus vir et mulier inter se coniugalem permutant amorem. Vinculum eorum amoris imago fit et signum foederis quod Deum eiusque populum coniungit»⁸ (FC 12g).

Quae doctrinalis expositio nos ducit ad ipsam Verbi incarnati plenitudinem:

«Dei hominumque communio perficitur postremum in Christo Iesu, Sponso, qui amat seque donat ut humani generis Salvatorem, cum illud corpori suo adnectit» (FC 13a).

Plenitudo ad quam ducit revelatio est ipse Christus qui sese offert in sacrificium:

«Revelatio haec ad ultimam suam adducitur plenitudinem tum in amoris dono, quod hominibus offert Verbum Dei sumpta natura humana, tum in sacrificio sui ipsius, quod Iesus Christus in Cruce pro sponsa sua Ecclesia offert. Eo in sacrificio plane reservatur consilium illud, quod Deus humana impressit in viri et mulieris natura iam inde ab eorum creatione⁹; baptizatorum itaque matrimonium efficitur solidum signum novi aeternique Foederis, Christi sanguine firmati» (FC 13).

⁸ Cfr. ex. gr., *Os* 2,21; *Ier* 3,6-13; *Is* 54.

⁹ Cfr. *Eph.* 5, 32s.

Quod sacrificii momentum hic in natura humana Christi et in coniugum amore revelatum, magni est momenti ad Ecclesiam domesticam fundandam et intelligendam et quidem Spiritus Sancti dono de quo textus sequentia tenet:

«Spiritus autem, quem Dominus effundit, cor novum largitur aptosque facit virum et mulierem ad se amandos quemadmodum nos Christus amavit. Coniugalis amor illam attingit plenitudinem ad quam intrinsecus ordinatur, caritatem scilicet coniugalem, quae peculiaris propriusque est modus, quo coniuges participans ipsam Christi caritatem, qui se donat in Cruce et vocantur ut vivant ex ea» (FC 13c).

Unde e baptismo oriuntur vis et foecunditas matrimonii, uti est Ecclesiae domesticae initium et fundamentum. Quod sequens textus optime exponit:

«Per baptismum vir et femina semel et in perpetuum inseruntur in Novum aeternumque Foedus, in sponsale Foedus Christi cum Ecclesia; et ob hanc indelebilem insertionem extollitur intima vitae amorisque coniugalis communitas condita a Creatore assumiturque in sponsalem Christi caritatem, firmatam et ditatam redemptrice ipsius virtute.

Propter sacramentalem matrimonii sui indolem coniuges inter se vinciuntur maxime indissolubili ratione. Quoniam mutuo ad se pertinent, iam revera per signum sacramentale commonstrant ipsam Christi coniunctionem cum Ecclesia» (FC 13fg).

Quae omnia pro ecclesiali natura familiae christianae sunt maioris momenti et concludi potest hoc textus asserto:

«Coniuges igitur sunt pro Ecclesia recordatio perpetua illius rei, quae in Cruce evenit; sibi vicissim et filiis suis sunt testes salutis, cuius eos efficit consortes sacramentum» (FC 13h).

Hic iam vi amoris largior coniugalit fit visio matrimonii christiani quod sese extendit ad filios. Sunt, ut coniuges et parentes, testes salutis. Cuius salutis sacramentum eos efficit consortes. Sacramentum natura sua ad sponso et coniuges uniendos vinculum est et profundum mysterium. Iam hodie ponitur quaestio utrum matrimonium sit familiae sacramentum necne et Ecclesiae domesticae fundamentum.

Et transit textus adhortationis ad ipsam familiam uti subsequenti secundoque gressu. Quae rerum expositio ad meliorem unitatem reduci poterit in ipsa contemplatione imaginis Dei, qui trinus est in caritate. Attente textus est inspiciendus:

«Secundum Dei propositum est matrimonium fundamentum maioris communitatis familiae, quoniam ipsum matrimonii institutum atque coniugalit amor destinantur ad prolis procreationem et educationem in quibus consummantur» (FC 4a).

Quae «secunda» familiarit communitat difficilius retinetur, cum familia sit praeprimis una et unica uti domestica Ecclesia. At textus sequens clariorem exponit veritatem:

«In intima veritate sua amor est essentialiter donum, neque coniugalit amor, dum maritus adducit in "cognitionem" quae facit ut sint "in carnem unam", expletur omnino inter ipsum par coniugum, cum eos idoneos reddat maxime, quae fieri possit, donationi, qua Dei fiunt cooperatores in tradendo vitae dono novo alicui homini. Ita profecto coniuges, inter se dediti, ultra se donant filium ipsum, sui viventem amoris imaginem, perpetuum unitatis coniugalit signum, necnon comprehensionem vivam et indissolubilem sui status ex quo sunt pater et mater» (FC 14b).

Qui inter omnes Adhortationis textus eminet ob momentum amoris familiarit prout a coniugibus exer-

cetur et in filiis perficitur. In textu ipso apparet imago divini Trinitatis amoris, quo etiam Ecclesia unitatem suam ex unitate Dei obtinet (LG 4b).

Immo hac iam familiae descriptio doctrinalis Adhortationem ad hanc realitatem nominandam ducit: «*Ecclesiam Dei*».

«In matrimonio ac familia quasi contextus efficitur necessitudinem inter personas — maritale commercium, paternitas et maternitas, filiatio, fraternitas — per quas omnis homo inducitur "in familiam humanam" atque in "familiam Dei" quae est Ecclesia» (FC 15a).

Quae caritas familiaris et simul ecclesialis, etiam pro coniugibus sterilitate obnoxiiis, remanet viva gratiae divinae imago. De qua sic loquitur Adhortatio:

«Haud oblivisci licet, etiam cum procreatio evenire non possit, non eam ob causam sua praestantia destitui vitam coniugalem. Corporis enim sterilitas occasio coniugibus esse potest aliorum magni momenti ministeriorum personae humanae praestandorum cuius generis sunt adoptio variaeque rationes educandi operum, auxilia aliis familiis vel infantibus pauperibus impeditisve praebenda» (FC 14d).

Munus familiae christianae in Adhortatione etiam effertur, etsi remaneat saepius in expositione distinctio matrimonium inter et familiam et familia saepius matrimonium includat. Res enim non est facilis totam uno verbo proponere de commercio familiari veritatem, elementis complexam simul et unitate simplicem et compactam.

Inter plures aspectus hic recolimus et ministerium familiae eiusque vitam ut domus Dei existentiam. Et primum adducimur ad eius ecclesiale ministerium:

«Matrimonium et familia christiana Ecclesiam aedificant, nam in familia persona humana non modo gignitur

paulatimque per institutionem ducitur in hominum communitatem sed etiam per baptismum regenerationem et institutionem in fide introducit in Dei quoque familiam, quae est Ecclesia.

Humana familia, peccato disiuncta in unitate sua, restauratur redimente virtute mortis resurrectionisque Christi (GS 78). Christianum connubium, salvificae illius eventus efficaciae participes, constituit veluti locum naturalem, ubi persona humana in magnam Ecclesiae inseritur familiam» (FC. 15c).

Concludendo haec de vita ecclesiali familiae clare iam statuuntur:

«Sic in familia, e sacramento coorta, reperit Ecclesia incunabula sua locumque, ubi potest ea propriam insertionem efficere in hominum generationes et hae vicissim in Ecclesiam» (FC 15e).

Plura exinde oriuntur et commemorantur familiae munera in Synodo recenter illustrata. His iam in Adhortatione expositis, quaedam sunt hic proponenda quibus pededentim melius ipsa familiae ut Ecclesia est domestica natura appareat. Et quidem de propria communione interne servanda et ad alias familias extendenda:

«Communio coniugum est fundamentum, in quo et amplior constituitur totius domus communio, parentum scilicet et filiorum, fratrum sororumque inter se, cognatorum aliorum familiarum» (FC 21a).

Quae etiam pressius definitur communio:

«Omnibus familiae membris, cuique pro eius munere, gratia praebetur atque officium imponitur personarum communionem in dies aedificandi, ita ut familia schola quaedam uberioris humanitatis (GS 52) evadat: quod fit tum studio et amore in parvulos et aegrotos, tum communicatione bonorum, gaudiorum et aerumnarum» (FC 21d).

Quae communio semper magis ecclesialis fit ob plures quae in Adhortatione offeruntur exercenda ministeria ecclesialia quae sunt auctoritatis et oboedientiae (FC 21e) abnegationis et devotionis, reconciliationis et pacis (FC 21f) coniugalis vitae moralis (FC 22-37). Iuvat tamen haec apertius hic assumere de filiorum educatione:

«Ex matrimonii sacramento officium educationis dignitatem haurit ac vocationem ut verum sit ac proprium "ministerium" Ecclesiae quod prosit sodalium eius perfectioni» (FC 38b).

Quod ministerium etiam doctrina S. THOMAE AQUINATIS extollitur:

«Talis est excelsitas splendorque ministerii institutorii parentum christianorum ut nihil dubitet Sanctus Thomas id comparare cum sacerdotum ministerio: "sunt enim, inquit, quidam propagatores et conservatores spiritualis vitae secundum spirituale ministerium tantum, ad quod pertinet ordinis sacramentum; et secundum corporalem et spiritualem simul, quod fit per sacramentum matrimonii, quo vir et mulier conveniunt ad prolem generandam et educandam ad cultum divinum» (Contra Gentes, IV.58) (FC 38b).

Qua via semper ad naturam familiae quatenus est Ecclesia domestica adducimur. En textus in hac re maior:

«In praecipuis christianae familiae muneribus etiam ecclesiale officium continetur: ipsa videlicet destinatur uti ministra ad Regnum Dei saeculorum decursu aedificandum per vitae missionisque Ecclesiae participationem.

Quo melius fundamenta, res ipsa, proprietates huius participationis comprehendantur, altius percipi oportet multiplicia et intima vincula Ecclesiam ac familiam christianam inter se colligantia, quae insuper familiam efficiunt velut «Ecclesiam minutam» (Ecclesiam domesticam)¹⁰ (LG 11)

¹⁰ Emphasis in textu habetur.

aguntque ut haec suo vicissim modo sit imago viva et historica repraesentatio mysterii ipsius Ecclesiae» (FC 49a, b).

Fundamentis sic exstructis, in Adhortatione Apostolica missionem ecclesialem familiae christianae facilius perspicimus:

*«Jactis ita fundamentis familiae christianae participatio-
nis missionis ecclesialis, iam tempus est illustrare eius ele-
menta in triplici et unica coniunctione cum Iesu Christo
Propheta, Sacerdote ac Rege¹¹ ideoque demonstrare chris-
tianam familiam ut: 1) communitatem credentem et evange-
lizantem, 2) communitatem cum Deo colloquentem, 3)
communitatem hominibus deservientem» (FC 50e).*

Qui aspectus hic non iam volumus profundius examini subicere. Possunt enim clarius exponi etiam aliis novisque documentis unde aliquando fiet synthetica propositio doctrinae de familia uti est «Ecclesia domestica».

At in fine haec Ecclesia domestica ultima in se directa recepit verba in oratione ad B.M. Virginem prolata; textus est ponderandus:

*«Virgo Maria, ut Ecclesia ipsius est Mater, ita pariter
«Ecclesiae domesticae» esto Mater et per materna eius
subsidia unaquaeque christiana familia fiat reapse «Eccle-
siola» in qua mysterium Ecclesiae Christi eluceat et vitae usu
exprimatur» (FC 85).*

Quae familiae domesticae natura, vita et missio fient in Exhortatione «Christifidelium Laici» etiam maioris momenti et plenioris lucis.

In Adhortatione apostolica «Christifideles laici»

¹¹ Emphasis in textu habetur.

ipsa familia ut Ecclesia domestica directe et plane indicatur et vocatur. Parentes et filii unum efformant larem quod Ecclesiae est cellula, in qua verbo et exemplo fiunt genitores primi fidei testes et propagatores; ipsi parentes iuniores educant ut, propria agnita sua vocatione divina, semper, prout Dei voluntate regantur, et etiam sacra prout ad vitam consecratam et ad ministeria maiora advocantur, suam ipsam Deo existentiam conscie et fideliter devoteant.

Adhortatio «*Christifideles laici*» hoc munus Ecclesiae domesticae in lucem ponit, uti educationis christianae est ministerium:

«Familia christiana, quatenus "Ecclesia domestica" originalem et fundamentalem constituit scholam pro fidei formatione: pater et mater a Matrimonii sacramento gratiam recipiunt et christianae educationis ministerium relate ad filios, quibus simul valores humanos et valores religiosos testantur et transmittunt. Prima verba discentes filii etiam discunt Deum laudare, quem Patrem amantem et providentem sentiunt proximum; prioris amoris gestu discentes, filii etiam discunt sese aliis aperire, in sui ipsius dono sensum humanae capientes vitae. Ipsa vita quotidiana familiae vere christianae primam «experientiam Ecclesiae» constituit, quae certe confirmationem et incrementum inveniet in graduali activa et responsabili filiorum insertionem in ampliorem communitatem ecclesiam et in societatem civilem» (Cl 62a).

His iam verbis haec maioris momenti videntur verba adiecta, quae sunt sublineanda:

«Quo magis coniuges et christiani parentes in conscientia crescunt de eo quod eorum "Ecclesia domestica" vitae et missionis Ecclesiae universalis est particeps, eo magis ad «sensum Ecclesiae» formari poterunt et totam pulchritudinem sentient suas dedicandi vires in Regni Dei servitium» (CL 62a).

Hunc exhortationis «*Christifideles laici*» textum analysi submittens, nemo est qui non videat quanti sit momenti ad Concilii Vaticani II doctrinam latius proponendam et explanandam. Clare dicitur familia «Ecclesia domestica». Uno amoris ductu uniuntur amor coniugalis et familiaris in hac vitae ecclesialis realitate. Immo enumerantur elementa quibus talis familia Ecclesia domestica est. Christiana familia est ecclesialis communitas; vitam Ecclesiae explicat, vitae et missionis Ecclesiae Universalis est particeps; ad «sensum Ecclesiae» sua efformat membra; est schola christianae educationis in qua parentes gratia sacramentali suffulti, suum exercent ministerium educandi testimonio vitae et fidei sensu transmittendo. Quae vitae ecclesialis talis sit ut inseri possit et augeri in activa et responsabili participatione vitae amplioris ecclesialis communitatis quae paroecia est et diocesis, quae Ecclesia est particularis in Ecclesia universali.

Quae in Constitutione «*Lumen Gentium*» breviter affirmabatur doctrina, hic amplius et fortius exponitur, atque clarius apparent omnia haec elementa uti constitutiva Ecclesiae. Ecclesia enim domestica iure dicitur: «Ecclesiola in Ecclesia».

Alia in Adhortatione de hac re considerata et exposita elementa magni sunt momenti doctrinalis. Exhortatio enim latius sese extendit quam Constitutio «*Lumen Gentium*». Ipsa Constitutio «*Lumen Gentium*» vinculum amoris coniugalis considerabat ut unionis Christi et Ecclesiae sacramentalis est significatio. Quod vinculum matrimoniale, uti familiae fundamentum consideratum, fit Ecclesia domestica. At in Adhortatione «*Christifideles laici*» ipsa familia *trinitariae vitae divinae* significandae et excolendae recipit munus. Quae verba denique totum mysterium vitae matrimonialis naturalis et sacramentalis apertius revelant feliciter.

«Virorum et mulierum praesentia coordinata pastoraliter est urgenda, ut plenior, congruentior et ditior christifidelium laicorum in salvifica Ecclesiae missione fiat participatio.

Fundamentalis ratio quae virorum et mulierum simultaneam praesentiam et collaborationem exigit et explicat, non est solum, sicut nunc elatum est, Ecclesiae actionis pastoralis maior significantia et efficacia; nec multo minus simplex sociologicum argumentum humanae conviventiae; quae naturaliter e viris constat et mulieribus. Est potius originalis Creatoris propositum qui a «Principio» naturam voluit humanam ut "unitatem duorum", qui virum et mulierem tamquam primam personarum voluit communitatem cuiuslibet alterius communitatis radicem, ac simul "signum" illius interpersonalis communionis amoris, quae intimam Dei Unius et Trini constituit vitam in mysterio» (CL 52c)¹².

Quae verba ultima, hic emphatice transcripta, tanti videntur ponderis ut ab illis sit recapitulanda tota de amore familiari doctrina, qua ipsa familia non tantum Ecclesia est domestica, et familiare sanctuarium sed ipsa Dei unius et trini signum. Ad hoc enim creavit hominem Deus, ut vir sit et mulier, ad eius imaginem reproducendam et in generatione filiorum complendam.

At remanet difficilis expositio quae simul offerat elementa priora, eis adiciat et sequentia, ut Trinitatis unius divini amoris eluceat imago, ipsum a Deo constitutum familiare consortium, quod Ecclesia domestica vocatur.

Et revera plura sunt elementa in hac veritate revelata distinguenda, non tamen separanda, immo et non opponenda. Unde clare haec apposuit Adhortatio:

¹² Emphasis est nostra.

«Hac precisa de causa, modus summe communis et capillaris ac simul fundamentalis hanc coordinatam et congruentem virorum et mulierum in Ecclesiae missione et vita praesentiam est munerum et responsabilitatum coniugum et christianae familiae exercitium, in quo diversarum amoris et vitae formarum apparet et communicatur varietas: forma nempe coniugalis, paterna et materna, filialis et fraterna» (CL 52d).

Et sese refert Adhortatio ad dicta in priori adhortatione *«Familiaris consortio»* de qua iam supra. At remanet inter haec multa elementa maius et primum atque fundamentale veritatis revelatae quo Ecclesia domestica eo magis constituitur quia ipsa est ad imaginem Dei condita; in ipsa Trini et Unius divini amoris habetur vita; omnia vitae humanae Cruce Christi redemptae reconduntur elementa, quorum familia fiat oportet signum et testimonium, exercitium et documentum.

In votis est ut tota haec de re matrimoniali et familiari doctrina ut initium et plenitudo vitae christianae demonstretur. Etsi matrimonium est in Ecclesia «sacramentum», ipsa familia in ea est «Ecclesia domestica». Cuius domesticae Ecclesiae valor et vigor sunt exponendi et tuendi magis.

Ut haec plene fiant, adiungenda sunt quae in Adhortatione de ipsius pueris et iunioribus sunt expressa:

«Agnosci debet etiam in infantiae et pueritiae aetate magni pretii possibilitates operativas tam pro Ecclesiae aedificatione quam pro societatis humanizatione esse apertas. Quidquid Concilium arguit de benefica et constructiva filiorum praesentia intra familiam, quae est "Ecclesia domestica". "Liberi uti viva familiae membra ad sanctificationem parentum suo modo conferunt" (GS 48) de pueris relate ad particularem et universalem Ecclesiam repetendum est. Iam hoc theologus et educator XV saeculi Ioannes Gerson

afferebat pro quo "portio Ecclesiae non vilis est puerorum et adolescentium coetus"» (CL 117c).

Quae in Exhortatione de familia domestica sunt dicta, directe vel indirecte hic congerere non possumus; maiora quaedam elementa assumpsimus ut ex eis appareat momentum familiae christianae quae, si sacramento adstruitur, plene tantum exstruitur si fit, quae sit oportet, «Ecclesia domestica».

Finem huic parti imponere non possumus et conclusionem, si hic saltem non ponatur quaestio cur familia vocetur «Ecclesia».

Certo certius ubi duo vel tres in nomine Christi uniuntur, speciatim ad orandum, adest est Christus (Mt. 18, 19-20). Quae praesentia Christi essentialis est ut coetus fidelium fiat et sit Ecclesia.

Ipsam Concilium diversas talis Christi praesentiae exposuit rationes; quae praesentia iam adest baptisate; confirmatione, dono quidem Spiritus, roboratur; in Eucharistia celebratur uti est sacrificium unicum Sacerdotis magni Novi Testamenti; in qua Eucharistia continuo vivit et crescit Ecclesia (LG 26a). Quae multiplex Christi praesentia in Concilii Vaticani II textu saepius discusso atque inde celebri facto describitur:

«Christus Ecclesiae suae semper adest, praesertim in actionibus liturgicis. Praesens adest in Missae sacrificio cum in ministri persona "idem nunc offerens sacerdotum ministerio, qui seipsum tunc in cruce obtulit"»¹³ tum maxime sub speciebus eucharisticis. Praesens adest virtute sua in Sacramentis, ita ut cum aliquis baptizat, Christus ipse baptizat»¹⁴.

¹³ *Conc. Trid., Sess. XXII, 17 sept. 1562, Doctr. de ss. Missae sacrif., c. 2. Concilium Tridentinum, t. VIII, Actorum pars V, Friburgi Brisgoviae, 1919, p. 960.*

¹⁴ *Cfr. S. AUGUSTINUS, In Ioannis Evangelium tractatus VI, Cap. I, n. 7; PL 35, 1428.*

Praesens adest in verbo suo, siquidem ipse loquitur dum Sacrae Scripturae in Ecclesia leguntur. Praesens adest denique dum supplicat et psallit Ecclesia, ipse qui promisit: ubi sunt duo vel tres congregati in nomine suo, ibi sum in medio eorum (Mt., 18,20)» (SC 7a).

Quae enumeratio, si nimis et praevalenter liturgica, non dici potest plena et completa. Illustrat autem ipsam familiaris consortii figuram quae est Ecclesiae domesticae. In medio familiae quae simul congregata orat, adest et Christus. Familia quae sacramento parentes unitos tenet et filios, etiam verbo et exemplo testificat, evangelium proclamat, alios ad Deum adducit, totum mundum una sua oblatione in Eucharistia offert et unificat.

Quae Christi Ecclesia, uti dicit Concilium Vaticanum II (LG 26a), vere adest in omnibus legitimis fidelium congregationibus localibus quae, pastoribus adhaerentes, et ipsae in Novo Testamento «Ecclesiae» vocantur. Hae sunt enim loco suo Populus novus a Deo vocatus in Spiritu Sancto et in plenitudine multa (cfr. Thess. 1.5). Quae verba suo modo sunt applicanda familiae christianae quae saepius in Ecclesia primitiva fuit locus conversionis et educationis christianae, locus cultus et praedicationis. Quae familia, uti dicit Adhortatio «*Christifideles laici*» non tantum est domestica Ecclesia ut Communionis vinculum sed et missionis ecclesialis consortium.

Quae variae missionis formae hic non enumerari possunt. Sunt autem in ipsa Adhortatione descriptae prout coniugium et familia primigenium locum exhibent pro christifidelium laicorum sociali operositate. Primigenia enim et originalis expressio rationis socialis personae in coniugio et in familia est (CL 40c).

Tot rationibus recte dici potest familia «Ecclesia domestica» in qua adest Christus et trinus ipse Dei

amor perspicitur atque Ecclesiae Christi Sponsae exhibetur sacramentum.

Ecclesia domestica, quae primo in «*Lumen Gentium*» enuntiatur, valorem habet suum proprie theologicum. Exprimit enim et effert aliquam formam communionis et missionis ecclesialis, quae est profundius investiganda ut ipsa etiam in vita Ecclesiae eiusque iure clarius recipiatur.

Inter plura quae de Ecclesiae domesticae missione sunt dicta, saepius nimis in ipsam familiam reversa, etiam nova exponuntur in Allocutione quam habuit Summus Pontifex ad Episcopos catholicos Scandinaviae, die 1 iunii 1989. Qui textus dici potest maior. Quem referimus, hic lingua latina versum:

«Ecclesia vivit et in praxim deducit suam fidem variis modis: in paroeciis et communitatibus, in associationibus et coetibus, secundum concretas circumstantias. Sed maioris momenti cellula — et quidem etiam in possibilitatibus limitibus circumscriptis in vestra situatione in diaspora — remanet familia quae vivit et formationem accipit christianam, quam Concilium Vaticanum II definivit tanquam “quaedam ecclesia domestica” in qua parentes debent verbo et exemplo primi annuntiatores fidei esse pro propriis filiis (LG 11b).

Fidei transmissio requirit imprimis dialogum fiducia plenum inter generationes, quo iuvet ad experientias religiosas mutuo communicandas atque ad invicem discendum. Iterum repetam familiam esse naturalem locum in quo talis dialogus haberi potest.

Coram invalescente praxi divortii, sparsae sensus peccati amissionis quae cum illa praxi connectitur, urget nos officium hominibus communicandi doctrinam authenticam Ecclesiae de matrimonio et de familia, per profundam catechesim, prouti iam late expositum est in Adhortatione apostolica “Familiaris consortio”»¹⁵.

¹⁵ Textus germanicus habetur in AAS 81 (1989) 1334-1339. Vide p. 1337.

Ecclesia domestica simul fit fons et testis veritatis revelatae de natura matrimonii et familiae christianae. Quae missio eo maioris est momenti quo facilius fit cum familia christiana relatio et plenior in amicali convivio obtinetur unio. Ubi deest et viva parochia, ubi adhuc desunt associationes fidelium aptae ad nuntium evangelicum vivendo proclamandum, non deest familia christiana quae est cellula ecclesialis prima, necessaria, numquam deficiens, etsi sola, sed fide et caritate fervens. Quae cellula a Summo Pontifice definitur maioris momenti ac aliae vitae christianae communitates. Quae familia suum exercet munus docendo et sanctificando eius membra ad intra sed etiam ad extra testimonio proprio et e testimonio doctrina, quae eius est anima.

Dialogus familiaris fiat oportet et amicalis erga eos quae de familia non sunt. Qui dialogus, ut sit efficax, fiat profundior ut errores de ipso matrimonio, de eius indissolubilitate melius exprimantur ita ut, quod peccatum est, uti peccatum agnoscatur et reiciatur.

CONCLUSIONES

Ex his quae in doctrina conciliari et post-conciliari sunt proposita et elucidata non possunt non concludi plura inter quae eminent elementa ecclesialia et ea quae sunt matrimonii fundamentalia.

Nova prius de matrimonii mysterio est necessaria analysis elementorum sicut et eorum synthetica propositio.

Creavit Deus hominem, virum et mulierem ad suam imaginem ut amore foecundo nova sese extendat progenie. Quo amoris motu interno familiae, vivit et manifestatur ipsa familiae configuratio, quae ad

imaginem amoris trinitarii Dei existit et ipsa, sicut Ecclesia, suam obtinet unitatem in diversitate personarum ab unitate quae oritur et stabilitur ex unitate Patris, Filii et Spiritus Sancti (LG 4b).

Relationes inter Personas Divinas sunt amoris mutui et foecundi in aequali dignitate sed donationis diversitate, quae mutua est Patris et Filii, foecunda in Spiritu atque a Spiritu per Filium ad Patrem suum fontem regreditur.

Haec quae in creatione iam sunt proposita, in revelatione sunt manifestata, ut familiae et Ecclesiae domesticae essentialia ad imaginem ipsius Ecclesiae, Corporis Christi compaginem et amoris Trinitarii consortionem.

Etiam si et in documentis Ecclesiae figura et vita familiaris in amore Christi in sponsam eius Ecclesiam fundatur, paulatim in recentioribus Ecclesiae documentis apparet haec personarum coniunctio in matrimonio, non solum ut donum mutuum, totale et indissolubile inter coniuges, sed profitentur haec documenta amplius familiam esse manifestationem plenioris amoris divini interpersonalis, quae est simul familiae et Ecclesiae ratio et revelatio.

Quae doctrinalis positio non est nova; plura Patrum assumpsit elementa. Fit familia amoris redemptivi signum et fraternitatis communio eodem quidem amore salvifico quo Ecclesia cum Christo unitur et uti amoris trinitarii communio componitur. Quae communio suum in unitate Trinitatis obtinet fundamentum.

Haec profunda similitudo familiam inter et Ecclesiam veritatem explicat quomodo ipsa familia sit domestica Ecclesia.

Unde haec clarius sunt proponenda ut melius perspiciantur et in vita christiana assumantur: matri-

monium uti sacramentum primum est familiae fundamentum; quae familia matrimonii plena est realisatio. Unde matrimonium in plenitudine sua intelligitur prout haec plenitudo amoris sit unitas indissolubilitatis in trina relatione amoris mutui et foecundi, i.e. doni plenioris et totalis, quo ipse amor divinus manifestat cur et quomodo sit ipse unus et trinus amor Dei; qui Deus caritas est.

Relate ad matrimonium, familia, quae in eo conditur et fundatur, ipsa matrimonii initia superat ut vita in ea adunata suam plenam obtineat virtutem et plenitudinem.

Qui hodie de re matrimoniali recte cogitare velit, praeprimis eam in Ecclesia domestica contemplet ut in ea divinae vitae mysteria coadunata intelligat et vivat.

Familia christiana est simul revelatio et specifica realisatio communionis ecclesialis quae est, ad imaginem Dei, amoris unius et trini manifestatio. Qua de causa, ut dicit Concilium, ut Ecclesia domestica designatur.

Est ergo familia communio personarum analogia in ipsius existentia communionis divinae Trinitatis sed in ea, sicut in ipsa Trinitatis vita, habetur triplicis muneris salvifici adumbratio. Creatrix est familia quae opus creationis Patris assumit; adoratrix et sacrificalis est quae Christi oratione et sacrificio sanctificatur; amoris est communio qua Spiritus Sancti relationem exprimit.

Quae relationum divinarum imago in familia communionem supponit et exigit, qua ipsa familia fit vitae communis locus et exemplar.

Sed ipsa familia, uti est ad imaginem Dei condita, communio est personarum, non in se restricta sed vi amoris aperta. Est aperta ad alios homines ut eorum

plenitudo sit communio in Deo. Sicut Deus est personarum communio, ita et homo relationes habeat oportet cum aliis ut sit ipse, ut Deus, fons communionis et unitatis. Unde recte matrimonium est foederis novi consortium, Ecclesialis unitatis convivium, amoris christiani fontale exordium. Quod ipsum matrimonium indissolubilis amoris vinculum sit oportet, ut ex eo foedus amoris fiat unitatis communio, familiae consortium, humanitatis novae testamentum.

Est ergo in Ecclesia familia christiana Ecclesia domestica; est autem inter homines ad Dei imaginem condita, quae ad Christi unitatem in Ecclesia Christi stabilendam est convocata.

In ipsa doctrina de matrimonio stabilienda, veritatis enuntiandae mutatio est optanda. Non iam historice, ab initiis incipiendo, est naturale matrimonium uti primum designandum, sed ab ipsius Dei intentione est ponenda matrimonii creatio uti divini amoris signum et donum. Homo, vir et mulier, cum prole sua ad imaginem Dei est constitutus ut amoris divini imago, revelatio et participatio.

Ne dicatur matrimonium ad dignitatem sacramenti elevatum esse, sed potius ad Dei imaginem conditum et sacratum. Quae positio Codicis latini in schemate Codicis Orientalis ad verbum non statuitur. In votis est ut textus plenius doctrinam magisterii assumat. Textus canonis orientalis est sequens:

«§ 1. Matrimoniale foedus, a Creatore conditum Eiusque legibus instructum, quo vir et mulier irrevocabili consensu personali totius vitae consortium inter se constituunt, indole sua naturali ad bonum coniugum ac ad filiorum generationem et educationem ordinatur.

§ 2. Ex Christi institutione matrimonium validum inter baptizatos eo ipso est sacramentum quo coniuges ad imaginem indefectibilis unionis Christi cum Ecclesia a Deo ununtur gratiaque sacramentali veluti consecrantur et roborantur.

§ 3. *Essentiales matrimonii proprietates sunt unitas et indissolubilitas, quae in matrimonio inter baptizatos specialem obtinent firmitatem ratione sacramenti.*

Quo textu uniuntur quae sunt in Codice latino exposita pluribus in canonibus scilicet 1055, 1056, et 1134. Deest explicita de elevatione ad sacramenti dignitatem mentio, etsi remanet implicita. Quae ad sacramenti dignitatem elevatio in Codice Pio-benedictino prima erat affirmatio. Nemo non potest hanc iam evolutionem doctrinae non notare atque in ipsa legislatione matrimoniali exoptare futuram totius rei meliorem doctrinae expositionem simulque nova e doctrina concludenda canonica praecepta et impedimenta.

Remanent etiam dilucidanda quaedam de ipsa notione «Ecclesiae domesticae» eiusdemque recta interpretatione.

Initio saepius Ecclesia fuit «Ecclesia domestica» eo nempe sensu quod conversio saepius fiebat alicuius patris cum tota ipsius domo (Act. 18,8). Quae domus ut familiae christianae, initia fuerunt Ecclesiae in mundo. Immo in his domibus Ecclesia conveniebat (Rom. 16, 3-5) et ipsi coniuges communitatem ecclesiam in sua domo recipiebant (1 Cor 16,19; Act. 18,2). Sic adunatio fiebat credentium alia in domo Nymphae (Col. 4,15), alia in ea Philemonis (Philem. 2). Qui usus extensus est, speciali modo Romae et etiam in Africa tempore persecutionis¹⁶.

Novam obtinuit significationem, quae est IOANNIS CHRYSOSTOMI, qui Constantinopoli viros (cfr. 1 Cor. 14,35) ad domum suam regressos repetitionem

¹⁶ Cfr. L. LIGIER, *De matrimonio. Questioni teologiche e pastorali*, Roma, 1988, 230 p. Vide p. 206.

Homiliae ad sponsam, filios et familiares exoptabat ut ipsa fieret meditationis, orationis, immo et laudis cantici et actionis gratiarum obiectum¹⁷.

Quo in casu domo facta est «Ecclesia domestica» et ipsius mariti servitium ministerium quoddam, assimilatum diaconiae pastorum¹⁸. Quae significatio ipsa Synodus Episcoporum anni 1980 iterum extollit, prout etiam a Summo Pontifice in Adhortatione sua «*Familiaris consortio*» die 22 novembris 1981 est relata et fusius exposita¹⁹.

Quae significatio «Ecclesiae domesticae» in Concilio est assumpta. Quae conciliaris positio a theologis initiata²⁰ et a laicis et religiosis est profundius elaborata²¹, et post-Concilium denuo novo studio roborata²².

Cum iam antiqua traditione familia nominatur «Ecclesia domestica» atque haec recenti magisterio, etiam in Concilio oecumenico, iterum affirmatur et effertur, necessaria nobis est ulterior investigatio.

Familia, in sacramento matrimonii fundata, spe-

¹⁷ Cfr. L. LIGIER, *op. cit.* nota praec., pp. 206-207.

¹⁸ *Ad. Thess.*, *Hom.* 5, 5; *PG* 62, 499.

¹⁹ *FC* 38, 52-53.

²⁰ Citantur a L. LIGIER: E. MERSCH, S. TROMP, Y. CONGAR. Vide *op. cit.* (nt. 16), pp. 207-208.

²¹ Citantur a L. LIGIER: D. GORGE, P. EVDOKIMOV, A. MAYDIEU, C. CARRETTO. Vide *op. cit.* (nt. 16), p. 208.

²² Addi possunt auctores quos citatos habemus in studio nostro: *Amoris humani donum divinae caritatis sacramentum*, in *Periodica* 58 (1969) 219-242. Vide auctores citatos G. DE ROSA (nt. 19), M. J. LE GUILLOU (nt. 20), J.G. GOURBILLON (nt. 27), ROCHOLL (nt. 29), F. TAYMANS D'EYPERNON (nt. 30), G. OGGIONI et V. VOLTA (nt. 32), C. COLOMBO (nt. 41). Vide etiam P. ADNÈS, *Matrimonio e Mistero trinitario*, in *AA.VV. Amore e stabilità nel Matrimonio*, Romae, 1976, 151p. Cf. pp. 7-25.

ciali gratia oritur et sustinetur; non solum vinculum matrimoniale eo sanctificatur, sed et vita coniugalís cum eius ampliatióne in filios, socios et amicos hac gratia unitur et roboratur. Qui gratiae effectus recte ecclesiales vocantur, cum e verbis Christi affirmatur Eius praesentia in medio eorum qui nomine suo uniuntur, oratione et amore coniunguntur, ipsam Christi Ecclesiam ut matrem et Christi sponsam agnoscunt. Est insuper Ecclesia domestica ipsius Trinitatis imago et hominibus divini huius amoris indicatio.

Sicut Ecclesia Christi vivit et crescit in Ecclesiis particularibus, universalis in locali vel personali Ecclesia, sicut et particularis adest et vivit in paroecialibus Ecclesiis et communitatibus parvioribus, recte dici potest ipsa familia «Ecclesia» proprio suo sensu sed vero. Quae appellatio in traditione fundata, in praxi etiam liturgica verificata, in magisterio etiam post-conciliari continuo affirmata, realitatem exprimit ecclesialem, quae non nova est sed renovanda, non recusanda sed clarius perspicienda ut sit et ipsa fons vitae christianae et ecclesialis ferventioris.

Quae familia domestica, non solum est locus cultualis et, uti vocatur, «domesticum sanctuarium», sed missionis ecclesialis forma aliqua et eius activa participatio. Habet etiam proprium suum charisma, particularem suam missionem, fruatur oportet iusta autonomia, ut familia sit etiam consecrationis et missionis forma, ministerium et Ecclesiae speculum.

Recte dicebat JOANNES PAULUS II parochiam esse familiam magnam cuius partes sunt omnes familiae domesticae, omnes Ecclesiae domesticae. Quam veritatem sequenti modo explanabat:

«Parochia est familia in medio cuius adest Pater coelestis praesentia eius Filii, qui homo factus, Verbum incarna-

tum est. Hic Filius Dei frater est noster qui nobis semper confert gratiam divinae filiationis. Nos filios in Filio facit. Salutem vobis dico, vobis omnibus, fratres et sorores, uti "Filiis in Filio", salutem dico familiis vestris domesticis, Ecclesiis vestris domesticis... Sit Dominus semper vobiscum!...»²³.

JEAN BEYER, S.J.

²³ Textus italicus habetur in *L'Osservatore Romano*, supplemento n. 14, 19-1-1990, p. III.